

75. *Cheiranthus alpinus* meus.

59. *Veronicae latifoliae* varietas ut videtur.

Altera mihi nota tantum est, quae floribus caeruleis.

15. *Peucedanum Silaus* certe. Lobelii figura 738 convenit, at 784 longe aliam exprimit.

*Spilanthus oleraceus* . a foliis consistentia oleraceis. Receptaculum paleaceum est, hoc dudum correxi in meis scriptis.

*Hieracium villosum* certe errore typographi exclusum fuit.

Grates reddo pro seminibus.

In altera epistola.

58. *Antirrhinum alpinum* omnino.

97. *Thymus alpinus*, sic videtur, noster in horto annuus est.

86. *Filago Leontopodium* optime fecisti, quod hoc tam egregie explanasti. Quaeso oroque semina des.

98. *Silene quadrifida* maxime me exercuit, nec me expedire potui . an altera annua, altera perennis? et quae-nam? Addas oro in figura stylos, ut videam quot sint in Tua. Semina erint gratissima.

93. *Hieracium* . figura maxime refert *Leontodon tuberosum*.

81. *Galium glaucum* . certe figura simillima et color caulis pallidus congruit.

*Theam* tam *boheam* (foliorum apice emarginato), quam *viridem* habeo vivam in horto; sed unicam e singulis plantam, neutra adhuc floruit.

*Justicia ciliata* est *Digitalis zeylanica hirsuta*, foliis *Sesami angustioribus* *Burm. zeyl. 88. t. 38*. Grates reddo pro hac planta, quam antea in herbario non possidebam . vera species *Ruelliae* ut ex Tua video. D. *Mutis* versatur in Mexico. D. *Allamand* misit ad me plantas Surinamenses suas.

*Absinthium pontic. tenuifol. aust.* dicas differentiam Tuam specificam, dum hanc extricasti, qui vivam habes.